



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 3. Quantus sit labor in diuitijs acquirendis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

semitas eius. An non ergo ipsa hæc sollicitudo mentes hominum excæcans dignam se esse, quæ horreatur, ostendit? Non sine causa Plutum poetæ cæcum finxerunt, facit enim cæcos, qui se sinunt ab ab illo gubernari. Quapropter utique non possunt videre, paupertatem diuitijs esse præstantiorem, quæ, teste Aristotele, *nihil ferè aliud sunt, quàm felix amentia, immò infelix.*

Aristot. 2.
Rhet.
cap. 16.

§. III.

Quantus sit labor in diuitijs acquirendis?

Hic cæcus dux homines impellit ad sectandas opes. At qualisnam est, aut certe esse solet opum acquisitio? Satis esset ad diuitiarum contemptum, quòd non sine molesto labore acquirantur, nec sine molestioribus curis custodiantur, nec sine molestissimis luctibus amittantur, sed insuper iniquitas se ijs vbique intermiscet. Quantis laboribus inquirantur, testantur imprimis omnes, quicumque agros fodiunt, arant, occant, serunt, & quisquis

Catull.
denuptijs
Pelei &
Thetid.
Genes. 3.
19.

Sole sub ardenti flauentia demetit arua:
testantur item omnes mercenarij, operarij, opifices, & quotquot corium suunt, ligna cædunt, saxa è lapidinis eruunt. Hi omnes *in sudore vultus sui vescuntur pane.* Subscribunt

retinendis, & amittendis divitijs. 65

bunt omnes hominum sortes, dum laudant
diuersa sequentes.

O fortunati mercatores, gravis annis Horatij
Miles ait, multo iam fractus membra lib. 1.
labore, Satyr. 1.

Contra mercator, nauim iactantibus
Austris,

Militia est potior &c.

Interim vterq; laborat, iste vt lucrum, il-
le vt spoliū reportet. *Qui nauigant mare, Eccli. 43^o*
enarrent pericula eius: & audientes auribus 26.
nostris admirabimur.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens.

Longum iter conficiendum est; aliena tel-
lus adeunda; vitandi scopuli, breuia & syr-
tes; expectandi & superandi saepe aduersi
venti; excipiendi decumani fluctus; susti-
nendæ procellæ nauim quatientes; atræ nu-
bes & horridæ suspiciendæ; imbres, nimbi,
turbines reliquæque tempestates despicien-
dæ, non rarò etiam ex naufragio tabula ar-
ripienda; deniq; sexcentæ sunt occasiones
pereundi. Tanti fit aurum. In bello autem,
quod plurimi non nisi prædæ causâ amant,
quis vult vigilias, famem, sitim, frigora,
æstum, morbos, & mala cuncta militaria.

E enar-

enarrare? Quàm multi *trium nummum* causa subeunt sub falas, vt Cornicus loquitur? applicant scalas, conscendunt muros, neque sciunt, vnde contorta falarica veniat; aut vnde fulminent è manibus, aut turribus, aut propugnaculis tormenta. Vno verbo, hi Martij pupilli vel dandis, vel accipiendis vulneribus stipendia merentur, semper vel suo sanguine cruenti, vel alieno, seu occidant, seu occidantur. Nemo mihi obijciat eos, qui domi sessitantes fœnus exercent, & per vsuras, aut alios dolos fraudesque rem suam augent. Hi enim nec interdiu dormiunt, nec noctu quiescunt, semper sunt in suo calculo, semper computant, semper scribunt, legunt, relegunt, semper vigilantes sibi somnia fingunt. Quid multum opus est? ipsum aurum, teste S. Augustino, prouidens hominibus natura, *cum labore facit quæri, quod noluerat inueniri.* Addit paulò post: *Aurum quod arumna perquirat, quod auaritia cupit, quod sollicitudo custodit: aurum materia laborum, periculum possidentium: aurum enervatio virtutum; aurum malus dominus, proditor seruus.*

S. Aug.
lib. de
verb. Act.
Apost.
serm. 2.

§. IV.

Quantis sceleribus plerumq; diuitie acquirantur? Ne